CAESARIS SVPERSCRIPTIO.

SIVE

Conciuncula, coram duobus Potentiſsimis Regibus,

IACOBO BRITANNIAE, &

CHRISTIANO DANIAE,

IN

Superiori atrio ſplendidæ illius domûs, Hono*ratiſsimi Comitis Sarisburienſis, quæ* vocatur THEOBALDVS,

A

Doctore THOMA PLAYFERO, *Sacræ* Theologiæ Cantabrigienſi Profeſſore, *pro Dominâ Margaretâ.*

Anno 1606. habita. Iulij 27.

LONDINI,
Impenſis IOANNIS BILL.
Anno 1606. *Iulij* 30.

LONDINI,
Impensis IOANNIS BILL.

EN tibi, Lector, quatridui laborem. Certorum amicorum hortatu editum. Brevis est, fateor. At non amo te, nisi tu brevitatem. Saltem, negligentiâ quæ non decurtata sit, sed accuratione constricta. Deinde, ad me comparandum per breue tempus datum, longam non potuit concionem pertexere. Nisi forte valuissem cum Iosuâ solem sistere, vt non meum negotium dirigeretur ad tempus, sed inflecteretur ipsum tempus ad negotium meum. Porrò & eorum qui audituri erant iudicium reformidans, qui non satis me facturum putaui, nec nimium facere decreui. Vt si eos nullâ voluptate possem perfundere, at nec illi me metu perturbarent nimis diuturno. Forsitan etiam vel iussus breui expedire parendum, vel annuendum censui admonitus. Ne sumptuosissimo epulo nobilissimis hospitibus tum dato, tempus quod inter alia distribuendum erat, soli viderer vendicare mihi. Certè & sine monitore facilè ipse præuidebam, tales auditores non defatigandos prolixitate, sed commodâ breuitate allectandos fuisse, ad consimilem sæpè laborem in eâdem causâ sumendum. Loquor de ijs qui intelligebant Latinè. Cæteri, qui certatim ferè innumeri conuolabãt, ad duos Illustrissimos Reges, quasi (quod perrarò tamen contingit) ad duos simul in cælo soles intuendos, ipsi cum audire non possent, nihilominùs voluerunt audiri, cum ij, ægrè ferrent se non intelligere, strepitu interim suo vt nec alij intelligerent concionem obruerunt. Hac vna causa, cur, licet brevissima

nissima, in publicum emittenda fuerit. Huc accedit, rari rem esse exempli, extra Academias, aut Conuocationem quam vocant, Latinam concionem haberi: rarioris, in Aula: rarissimi, nec nostrâ memoriâ patrúmue cogniti, coram duobus Regibus. Hic igitur Ecclesia lætatur, nutricios suos pios Reges, non contra Christum, sed propter Christũ suum sponsum conuenire. Eosq́ qui cõiunctissimi sunt affinitatis fœderũq́ omnium societate, similiter sanctæ religionis exercitijs, verbumq́ audiendi curâ coniunctos. Simùl & Serenissimum Regem Christianum, *non solùm libenter cognoscere quibus commodis hoc Regnum alijs circumfluat, sed etiam in Dei cultu quam quasi formam obseruet. Itaq́ antè quidem, vt ait Apostolus, oculos nobis nostris manibus erutos eramus Regi Præcellentissimo dare parati, nunc nihil habere nos existimamus satis dignum, Maiestatis suæ, vel intimo amore in Deo-dilectum Regem nostrum* Iacobum, *vel perpetuis in hanc rempub. promeritis, vel flagrante veræ religionis restaurandæ & amplificandæ studio. Hæ editionis caussæ. Tu, Lector, talem te præsta erga me, qualem ego me soleo erga omnes. Si eorum lucubrationes ad me meaq́ studia non spectent, alijs relinquo, ipse eas haud temerè sumo in manus ad legendũ. Sin spectent, eis, vel applaudo, vel ignosco. Si, aut benè perscriptæ sint, aut tam benè quàm potuit qui scripsit. Tu quoq́ mihi, pro humanitate tuâ, ignosce. Præsertim cum à veteribus omnibus optimæ fidei amicis meis, id est, à libris in Academicâ meo musæo, iam fuerim aliquàndiu disiunctus. Cincinnatus ab aratro: ego, à fœnificio. Vale.*

CÆSARIS SVPERSCRIPTIO.

PSAL. 68. 1.

Exurgat Deus, dissipentur inimici.

Dominus noster & Seruator Iesus Christus, monstrato sibi denario, interrogâsse legitur, Cuiusnam illa imago & superscriptio esset? Cæsaris esse respondent. Idem si nunc Christus versaretur in terris, atque nostrâ de pecuniâ quæreret, Cæsaris itidem superscriptionem hanc, sed non Romani, verum Britannici esse audiret. Siquidem in regijs numismatis, publicâ fide signatis, quam plurima, & argentea, & aurea repereris, hæc ipsâ quæ superscriptione notentur; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Vt autem sacrum hoc emblema, non solùm in commutabilibus pecuniæ membris, sed etiam in intimis fidelium cordibus inscribatur, operæ me laborisque mei pretium arbitror esse facturum, non quidem singula si

verba examinem, sed vnicum duntaxat, vnde totius sententiæ pondus momentumque dependet. Si enim probè intellectum fuerit, *Deus* hoc loco quid significet, causæ nihil erit, quamobrem verborum de explicatione laboremus reliquorum. Porrò vt superscriptio hæc, non isto in Psalmo solùm, sed & ante, & post hunc Psalmum occurrit; ita nomen *Dei* triplicem interpretationem admittit. *Exurgat Deus*, id est; vel Cultus Dei: vel Magistratus Dei: vel Filius Dei. *Exurgat* cultus & vera religio Dei, & dissipentur omnes veræ religionis inimici. *Exurgat* magistratus Dei, & dissipentur omnes pij magistratûs inimici. *Exurgat* filius Dei, & dissipentur omnes filij Dei inimici. *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Cultus Dei latet in tutelâ & præsidio pij magistratûs: magistratus Dei sine custodiâ & vigilantiâ filij Dei non protegitur: filius Dei si neutiquam exurrexisset, haud potuisset, vel per se suos magistratus, vel per magistratus suum cultum defendere. Vt igitur, nec cultus Dei prospicientiâ magistratûs, nec magistratus Dei protectione filij careret, idcircò hosce simul omnes ecclesia complectitur, oratque vt, *Exurgat* cultus Dei, *Exurgat* magistratus Dei, *Exurgat* filius Dei. Si namq; exurgat filius Dei, magistratus erit tutus: si exurgat magistratus Dei, cultus erit purus. Vbi è contra, nec cultus sine magistratu propagari posset: nec magistratus sine filio defendi. Orat proinde ecclesia, vt *Exurgat* cultus Dei; neq; id solùm, verùm, ne cultus Dei opprimatur, vt *Exurgat* etiam magistratus Dei; neque id solùm, verùm, ne magistratus Dei opprimatur, vt *Exurgat* etiam filius Dei. *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Iam igitur, vt ordine procedam, breuiterque omnia perstringam; Primò, superscriptio ista reperitur, vt dixi, ante hunc Psalmum. Nempe Nu. cap. 10. ver. 35.

Illic

Illic autem *Deus*, cultum Dei designat. Quandoquidem enim Deus se ad arcam astrinxerat, quasi ad aspectabile signum suæ præsentiæ, idcirco quoties levabatur arca, non tam arcam dictitabant, quàm Deum ipsum exurgere. Ideoque etiam nunquam prodibant ad bellum inimicis inferendum, quin curarent sibi arcam præferri, cui & sublatis vociferationibus acclamabant; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Cæterùm, tantos sibi spiritus sumebant, tantosque animos Israelitæ præeunte arcâ, non quòd eam divinæ præsentiæ symbolum & pignus modo esse putarent, sed quia incorruptæ religionis etiam, veræque pietatis insigne. Vt enim Constantini Magni milites, sub labaro illo sive vexillo bellantes, in quo scriptum fuit, Ἐν τούτῳ νίκᾳ, *In hoc vince*, nullas inimicorum vires impressionesúe metuebant; & Taboritæ, sonitu audito tympani ex Iohannis Ziscæ nobilis Bohemi cute confecti, non poterant contineri, quin hostium in medias turmas irruerent: planè eodem modo Israelitæ, Dominum exercituum timentes nihil præterea timebant, sed arcâ fœderis freti tanquam tesserâ sanctæ religionis suæ, magis invicti atq; animosi erant, quàm si, aut Constantini vexillo circumuallati, aut Ziscæ excitati tympano fuissent. Quid enim in cultu Dei vllâ ratione requiritur, quod non fuit significatum in arcâ? Verbum, & Sacramenta? At verbum erat, in tabulis legis, & oraculo: sacramenta, in virgâ, & mannâ. Sacerdotes, qui verbum prædicarent, & administrarent Sacramenta? At vectes auro operti, erant sacerdotes, qui circumgestabant arcam, quasi si nomen Dei coram gentibus & regibus cùm Paulo portarent. Scientia scripturarum, & optimæ artes, quæ erudirent & perpolirent ministros? At aurei quatuor illi annuli, sive circuli, in quos vectes inserebantur, erant Moysis [illegible], aut velut ἐγκυκλοπαιδείας quædam, hoc est, curricula erant & exercitationes,

in

in quibus assidue debebant ministrorum studia versari. Notandum enim deum sic loqui; *Vectes semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur abeis.* Quia videlicet fideles Leuitæ semper debebant occupari in studijs & sanctis meditationibus, nec vnquam divelli ab eis. Ita, nec defuerunt verbo & sacramentis sacerdotes, nec sacerdotibus artes & literæ. Sed qui verbo atque sacramentis dispensandis perpetuò deum colebant, ij vicissim ipsi excolebantur pulcherrimis disciplinis ac scientijs, quò instructiores ad Dei cultum accederent. Quamobrem veteres Israelitæ clamantes, *Exurgat Deus*, hoc nimirum dicere volebant; *Exurge Deus in requiem tuam, tute & arca roboris tui. Exurgat* dei arca, dissipentur Dagon: *Exurgat* Moysis manus, dissipetur Amalech; *Exurgat* Aaronis virga, dissipentur Pharonis magi: *Exurgat* serpens æneus, dissipentur serpentes ignei: *Exurgat* verbum & sacramenta, dissipentur verbi & sacramentorum inimici: *Exurgat* ministerium & optimæ artes, dissipentur ministerij & optimarum artium inimici; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.* Tantum de cultu dei.

Secundò, superscriptio ista reperitur, vti videmus, in hoc psalmo. Hic autem *Deus*, magistratum Dei designat. Quippe manserat arca in Chiriathiarim sexaginta annis neglecta. Nulla eius ratio habebatur, quamdiu Saul regnauit. Nunc igitur Dauid, rebus suis omnibus ex animi sententiâ præclarè constitutis, Philistæis superatis, edomitis Iebusæis, publicâ pace vndiquaq; stabilitâ, cùm iam arca Dei ex ædibus Obededomi in Sionis arcem transferenda esset, intuens populi Israelitici in deserto historiam, precatur his verbis; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Perinde quasi dixisset; Iam cum religionem bene fundatam, omnesque dissipatos inimicos video, Dominus

minus non dubito quin me charum habeat. His enim optimis ominibus, ſecundiſſimiſq; auſpicijs in regnum inauguratus, rectè videor poſſe deinceps conſidere, omnia mihi meiſq; proſperè & fœliciter euentura. Nunc ego floreſco, quum floret religio : nunc ego triumpho, quum triumphat pax. Sic ſemper pergas, quæſo, Domine, beare ſeruum tuum, diſſipare inimicos ſerui tui; *Exurgat Deus, diſſipentur inimici.*

Atq; ne fortè miretur quiſpiam, cur *Deum* hoc loco poſitum pro Dauide, ſiue generatim pro magiſtratu Dei interpreter, iam parumper ſi placet, quâ id ratione faciam attendite. Arca, vt ſanctum Dei cultum figurauit : ſic nec obſcurè reuerentiam obſeruantiamq; magiſtratui quæ debetur. Corona aurea per circuitum arcæ, quid aliud expreſsit, quàm coronam illam, quâ de Dauid Pſalmo viceſimo primo ; Coronam capiti regis impoſuiſti de lapide pretioſo? Vnde & Iſraelitæ olim Iordanem tranſituri, hoc modo admoniti fuerunt ; *Cauete ne appropinquetis ad arcam, ſed ſit ſemper inter vos & arcam ſpatium cubitorum duûm millium.* Hoc interuallum præcedentem arcam inter ac ſubſequentem populum, apertè declarat, regiæ coronæ fulgorem tam longè diſtare à tenuitate atq; obſcuritate ſubditorum, vt hi ne quidem in conſpectu relinquantur. Sunt enim ſummi magiſtratus, miniſtri Dei. Cuius vicem videlicet locumq; tenent in terris. Idcirco ſapienter Ioſaphat iudices à ſe ordinatos alloquens ; *Videte*, ait, *quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei.* Quemadmodum igitur verbum qui audiunt, non vt verbum hominis audire illud debent, ſed, ſicuti reuera eſt, vt verbum Dei ; ita etiam exiſtimare debemus, eos qui iudicant terram, publiciſque rebus præſunt, non hominis ſed Dei exercere iudicium. Hinc non dubitauit Pſalmiſta de regibus, rex ipſemet inclytus, in hanc pronunciare ſententiam ; *Ego dixi, Dij eſtis.* Quæ ſane tam vera pro-

phetæ assueratio est de regibus populi, *Dij estis*, quàm falsa fuit Diaboli pollicitatio de seruis peccati, *Dij eritis*. Neq; enim Deum vnquam facit, quod Deus nunquam facit. Sed si constet, è pijs regibus quasdam diuinitatis, atq; adeo ipsius Dei, vt ita dicam scintillulas emicare, quibus subditos ad sui admirationem inflammant & amorem, cuius iustitiæ clementiæq; radios ad alios gubernandos tuendosq; diffundunt, eius non ipsi vicissim amplitudinis & claritatis illustri specie splendescerent? Certè Christus elogium hoc regij prophetæ repetens, Iohannis decimo, non reprehendit vt nimis hyperbolicum, sed egregiè dilaudat, ex eoq; sui dictirationem & defensionem petit. Si etenim terreni principes haud immeritò *Dij* quidam nuncupari possint, propter diuinissimi officij præstantissimique muneris maiestatem: quantò magis Christus filium se sine blasphemiâ Dei dixerit, cum sit ipse Deus coæternus cum patre, & filius Dei, naturæ communicatione, non gratiæ? Nec tamen hinc aliquid regum de celsitate detrahitur, quod supra eos sit Christus, quin potiùs hoc sibi glorioßissimum ducere debent, quod cum ipsi sint supra omnes mortales, solum seipsis superiorem habent immortalē Deum. Atq; adeo quoties hoc cogitāt, nulli se omninò prætetquam soli Deo obedientiam debere, nimirum incredibilem quandam animi exaggerationem, & robur sibi mentis planè diuinum assument, vt quamuis videant improbos, væsanâ feritate & barbariâ furibundâ bacchantes, totas respublicas vno momento euertere conari, perinde acsi hic scriptum esset, *Exurgant inimici, dissipetur Deus*; tamen placidissimè in bonum Deum, patronum ac protectorem bonorum regum recumbentes, & pro suâ ac populi sui incolumitate precantes, semper cantēt cum suaui cithara Dauide, non vt illi; *Exurgant inimici, dissipetur Deus*; sed, *Exurgat Deus, dissipentur inimici.* Tantum de magistratu Dei.

Tertiò,

Tertiò, & vltimò, superscriptio ista reperitur, vt initio obseruauí, post hunc Psalmum. Nempe Epistolæ ad Ephesios Cap. 4. ver. 8. Non quòd expressa hæc sententiola illic legatur, sed quia Paulus partem huius Psalmi Christo applicans, Psalmum illi totum ascripsit. Sanè enim, si licuit Apostolo ex sequentibus illis verbis, *Ascendisti in altum*, confirmare sequentem etiam ascensionem Christi, profectò nec dubitasset, si vsus & occasio fuisset, ex antecedentibus hisce verbis, *Exurgat Deus*, similiter antecedentem Christi resurrectionem probare. Tum autem, si id feciſſet, *Deus*, filium Dei designàsset. Sicut & nunc nihilominus aptissimè designat. Habuit etenim hoc Dauid, quando ex suis quidem lumbis Christum sciebat prodituruin, quoties regni sui gloriam voluit extollere, vt simul instaurationem regni Christi includeret. Ac proinde quum Dauid vnus esset ex multis illis regibus, quos Christus testatur cupiisse videre suam resurrectionem, nec tamen vidisse, idcirco quod intueri corporis oculis non potuit, spiritus interim fidei; luce conspexit, & cum reliquis omnibus sanctis regibus atq; prophetis, filii Dei desiderans gloriosum diem, dixit; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Ceterum arcæ Dei filium Dei tam variè illustrat, vt perpaucá solummodò quasi libàsse sufficerit. Propitiatorium de auro mundissimo, quem, obsecro, alium descripsit, quàm illum quem proposuit Deus propiatorē, quiq; solus propitiatio est pro peccatis nostris? Duo aurei Cherubini respicientes sese mutuò, & tegentes propitiatorium suis alis, quid aliud esse possunt, quàm duo testamenta, quæ inter se, & in Christo conspirant? Obumbrant quidem propitiatorium, sed adumbrant Christū. Deauratio arcæ auro mundissimo foris & intùs, erat perfecta sanctificatio filij Dei ab vtero matris. Quatenus enim expers erat omnis peccati actualis, deauratus fuit foris: quatenus omnis peccati originalis,

deauratus fuit intùs. Constructio arcæ de lignis *Setim* quæ cariem non sentiunt, Christi ἀφθαρσίαν notat. De quâ filius ipse patrem compellans sacro suo ore testatur; *Non derelinques animam meam in inferno, neque sines sanctum tuum corruptionem videre.* Ne igitur corruptionem hanc videretur vidisse, sed vt omnes intelligerent, carnem eius, veluti arcam de lignis *Setim*, cariosam non potuisse esse, pij patres semper optârunt, vti quamprimùm exurgeret. Nam vt antequam incarnatus esset, clamabant; *Vtinam disrumperes cœlum, & descenderes:* sic postquam fuisset sepultus, clamabant; Vtinam disrumperes sepulchrum, & exurgeres. Sanctus Iacobus frater Domini (vt scribit Hieronymus in Catalogo, verbo Iacobus) tam ardenter expetebat reditum filij Dei è sepulchro cernere, vt sanctè voueret, se ab eâ nocte in qua panem & vinum de manibus Christi sumpsisset, nec comesurum quicquam nec bibiturum, donec certò eum resurrexisse resciret. Non vt Iudæi, qui id vouebant, donec trucidâssent Paulum: sed, donec filium Dei, trucidatum à Iudæis, excitatum â semetipso videret. Hæc igitur sanctorum Prophetarum & Apostolorum vota, hæc suspiria fuerunt; O tu sol mundi! vbi es? cur inuoluis te tenebris? O tu phœnix mundi! vbi es? cur te obruis cineribus? *Exurgat* sol mundi, dissipentur tenebræ: *Exurgat* phœnix mundi, dissipentur cineres; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.* Tantum de filio Dei.

Hæc superscriptio, vt iam audistis, à tribus vsurpata fuit. Moyse: Dauide: Paulo. Moyses loquitur in secundâ personâ, קומה, *Exurge*: Dauid in tertiâ personâ, יקום *Exurgat.* Paulus in eadem tertiâ personâ, sed in altero tempore, nimirum in tempore præterito, *Exurrexit.* Non enim ait, Captiuos ducat, sed ἠκμαλώτευσεν, Captiuos duxit, captiuos duxit & *dissipauit inimicos.*

micos. Itaq; hæc superscriptio ; Moysi, fuit petitio : Dauidi, prædictio : Paulo, impletio. Nam Moyses, loquitur de Cultu : Dauid, de Magistratu: Paulus, de Filio. Iam verò Cultoris Dei est, petere & repetere : Magistratus Dei est, prædicere & edicere : Filij Dei est, implere & perficere. Et tamen hoc affirmo, nunquam sic fuisse impletam hanc scripturam ætate Pauli, vel vllo alio exinde seculo, vt hodie in auribus nostris oculisque impletur. Quanquam enim plurimas florentissimas orbis habeat Euangelicas atq; reformatas ecclesias, de quibus verè dici possit, Deum in illis gloriosissimè iampridem *Exurrexisse*, ac proinde de earum honore nihil vellem vllâ a me comparatione institutâ decerpi : tamen si verũ dicendum libereq; loquendum sit, in nullâ vnquam republicâ Deus gloriosius *Exurrexit*, (sancto nomini eius propterea immortales gratiæ habeantur) *Exurrexit* in cultu suo, *Exurrexit* in magistratu suo, *Exurrexit* in Filio suo, quâm nuper in hac nostrâ Britanniâ. Ita, quod fuit Moysi tantummodò votum: Dauidi plusquam votum; vaticinium : Paulo plusquam vaticinium; complementũ : nobis tamen multò verius, verius, fœliciùs, quàm Paulo impletur. Vt quantum claritate scientiæ, Moysi Dauid ; Dauidi Paulus præcelluerit; tantum nos ipsi Paulo euentûs fœlicitate præstemus. Ille horum verborum intellectum liquidiùs vidit: nos lætiùs effectum. Nam ille sub Nerone occisus : nos viximus nunquam beatiùs. Eia, fœlices Aulici ! Eia, fœlices omnes Britanni ! *Exurrexit* ; *Exurrexit* Deus : & sic semper *Exurgat* ; *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Quapropter, vt hæc innumerabilia, quæ in vos Dominus beneficia & ornamenta congessit, quæ patres vestri maioresque nunquam viderunt, liberis tamen vestris ac posteris omnibus transmittantur, suppliciſsimè atque humillimè vos oro, Augustissimi, Serenissimiq; reges, vosque reliqui, Honoratissimi, & Charissimi dei

Amici; si vos excellens decus allicit, si gloriæ stimuli concitant, si immortalitatis pulchritudo delectat; per sollicitam eam curam vestrarum quam habetis de salute animarum, per nobilissimum & tenerrimum Christi cruorem pro vobis in crucis arâ profusum, per omnia omnium sanctitatum iura, quantum meus in Deum amor, & reuerentia beneuolentiaq; in vnumquemq; vestrûm postulat, tantum vos humillimè oro, inquam, & obtestor; id quod studiosissimè iam facitis, pergatis deinceps quoque fideliter facere, Cultum Dei procuretis, Magistratum Dei honoretis, Filium Dei celebretis; discatis vel à Mamonâ vestrâ, non tamen vt Mamonæ discendo seruiatis, sed vt Deo sincerè seruientes, ipsi sitis moneta Dei, per imaginem eius insculptam in cordibus vestris per fidem; discatis, inquam, a Mamonâ vestrâ, non enim vtilior vllo modo vobis esse potest, quam si hoc vnum vos doceat, dignum profecto vt aureis literis in cordibus incidatur; à Mamonâ vestrâ dicere, *Exurgat Deus*, Cultus Dei, Magistratus Dei, Filius Dei, *Exurgat Deus, dissipentur inimici.*

Tum enim, si modò *Exurgat* Deus in cordibus vestris, post exactam huius vitæ vestræ militiam; post repressas & excisas cupiditates carnis, quæ odit Cultum Dei; post stratum & confossum Diabolum, qui odit Magistratum Dei; post spretam & contemptam vanitatem mundi, qui odit Filium Dei; post trophæa vestra de carne, post victorias de Diabolo, post triumphos de mundo; ad cœlestes illas sedes & cathedras ascendetis, vbi æternâ fœlicitate omnibus copijs & opibus amplificatâ magnificentissimè redundabitis. Quod nobis omnibus Christus ipse concedat, per immensam virtutem & potentiam resurrectionis suæ, quâ suos nostrosq; omnes *dissipauit inimicos*, & posuit eos scabellum pedum suorum; Cui, cum Patre, & Spiritu Sancto sit omnis honor & gloria, nunc, & in æternum. *Amen.*